

Ambitiosum dicit demisse et officiosa quadam veneratione blandissimum, unde intellegere possis inproprie ambitiosos de adrogantibus dici; ambitio est enim favoris alicuius supplex et cum lenocinio humilitatis adfectatio gratiosa.

Turpissimis iudiciis.

5

Famosis, ut saepe iam dictum est.

§ 43. Et furti et pro socio damnatus est.

Per omnem decursum partis huius destruit personas testium singulorum, quo minus his credendum iudices arbitrentur, quibus nulla vitae honestas patrocinetur. Pro socio autem damnantur, qui aput arbitrum infideliter in societate gessisse convincuntur.

Nam Lysanias adeptus est ordinem senatorium, sed cum rem p. nimium amplecteretur peculatus damnatus est.

15

Eleganti verbo usus est: *amplecteretur*; est enim dubium, nam et qui diligit, amplectitur et qui spoliat et intercipit aliquid ex aerario.

§ 44. Quattuor mensaris.

Actus in Caria plerumque videtur per has personas et officia decurrere. Sed mensarios dicit, quos illi *τραπεζίτας* vocant.

Ex tanto numero deductus est nemo.

Ἀπὸ τῶν ἀπόντων συλλογισμός. Ex iis argumentatur, quae desunt accusatoribus ad probationem et quae omni modo constare deberent, si quid vere criminarentur.

§ 45. Quem iudicatum duxit Hermippus.

Persona hominis defloratur, ne quam possit auctoritatem testis aut religionem sibi vindicare, cuius pudor tanta ignominia profligatus sit: iudicati enim ducebantur.

Ultroque iis sumtum intulit.

Id est: etiam erogationem sumtus inputavit.

